



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Provincia Mediolanensis

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68850](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68850)

PROVINCIA
MEDIOLANENSIS

MEDIOLANENSIS Provincia Domicilia numerat septem-
cios in his, decem quindecimue
pra ducentos. Domus Professa tri-
ginta octo. Collegium Breranum
re septuaginta. Genuense ad quad-
ginta. Taurinense amplius triginta. Comense duode-
cim. Vercellense octo. Aronensis Nonitorum. Do-
mus duodecim non pauciores. Vita excesserunt vni-
cim. Tredecim ad nostrum ordinem adiuncti.

DOMVS. PROFESSA. MEDIO-
lanensis.

QVAE communia, etiam si non communi mo-
do, euenere Mediolani a Professorum Domo,
persequi non opera est, satis superq. oneris sustinēti,
res proprias ita scribere, vt aequae proposita materia
satisfaciam, & praescripta breuitati: cuius similiter
studio, multa vel propter similitudinem omitti, vel
propter longitudinem perstringi decet. Quod pra-
monitos volui hoc ipso initio, vt ignota non esset ra-
tio non solum facti, sed etiam consilij mei. Recepta
iam consuetudine, certis diebus conuenire solent pres-
byteri vrbis, de illis rebus consultaturi, quarum co-
gnitio actione pertinet ad officium eorum: ij summis
preci-

precibus vnum e nostris impetrarunt, vt ardentibus animos vehementius incitaret. Instituta est Sodalitas, quae cum Pietatis nomine suscepit etiam munus adiuuandi pauperes, eos praecipue, qui in carcere detinentur: cum cognomine Romana iisdem officijs legibusq. coniuncta. Dederunt in eam nomina principes ciuitatis. Praeclari huius operis non dicam auctores, sed certe conscij & probatores quidam e nostris fuere. ijs quidem praesentibus lustratus carcer a Visitatore Regio, & Sodalitatis institutum iudicibus expositum. ergo a sodalibus, interprete vno e nostris, qui stas eorum conuentibus interest, aut, vt ipsi loquuntur, praestatur opera, vt & miserorum prospiciatur corporum necessitudini, & animorum saluti. Docentur rudes elementa doctrinae Christianae: audiuntur confitentes, & quidem a multis annis. bis vno anno omnes peccata confessione eluerunt: et quibus erat integrum, communicarunt: sacro per urbem perlato ferculo praelucentibus sodalibus, conspicua populi. Iti mox, ad cumulandum beneficiū, liberali prandio refecti. excitatum in singulis ergastulis altare sacro faciendo, ac precibus fundendis, quarum ratio praescripta. haud dubie eorum multi adhuc animis vinculi essent, nisi tunc corporibus vinculi fuisset. Atque haec prior anno. Posteriore enim vnus e carcere emissus, in hunc modum. Septemdecim iam annos exegerat quidam in squalore carceris (vt constitit) sine culpa: et (vt erat minime sciens fori, nec persequens litium, per speciem aris alieni, cuius insimulabatur) sine spe egressus. nec fregit tamen insignis iniuria constantem

tem viri pietatem. numquam tam longo tempore
 Deo, aut de hominibus conquestus, in sanctis pre-
 tionibus dies noctesq. collocabat. Incidit in mor-
 bum, cuius vi pene consumptus, iacebat in centon-
 bus, quos alius commodarat. audit nostros aduenisse
 vnius conspectum orat. cui cum patefecisset omni-
 eam misericordiam mouit cum admiratione conu-
 Etiam, vt de homine liberando laborarit, non sine ef-
 fectu. Is postea conualuit, & ad Virginis Laureta-
 nae, emendicata stipe, profectus ea mente, vt in reli-
 gionem aliquam ingrederetur. Sed abeamus a care-
 re, veniamus ad templum, in quo habitæ concione.
 Quadragesima tanto mortalium concursu, vt multi-
 diluculo sedes fuerint occupandæ. Nec verba in vo-
 num iacta. Habetis exemplum. Agebat noster de
 condonandis iniurijs Christi causa: penetrauit oratio
 hominem, cui magnum odium & vetus cum altero,
 a quo grauiter offensus: apud se statuit, simul atque
 in hominē inciderit, veniam dare, etiam non petenti.
 vix pedem e templo, in eum incurrit, statimq. pro-
 tenta manu & exporrecta fronte: Accipe, inquit,
 & da dexteram: & firmemus inter nos pacem. Dis-
 fidens ille tam repentinæ mutationi, simulq. metuens
 insidiarum, dat sese in fugam, nullo reddito responso.
 alter, ne incepti operis gloriam relinqueret, suasa
 nostrorum, multis comitantibus, pergit ad eius do-
 mum, & finem discordiæ imponens fide optima, mi-
 rantem alterum toto pectore astringit. Eiusdem ge-
 neris alterum. Vnus ex ijs, quorum audax inopia ad
 omne facinus impellitur, accersitus ad urbem erat a
 viro

viro nobili, patrando maleficio. dum expectatur occa-
 sio, venit ad nostram aedem, aliud agens: concionem
 inter ceteram turbam statuit opperiri: sensit primo,
 concionatori cum dat operam, labefactam mali cupi-
 dinem: idq. dum facit iterū, ac tertio, repetitis impul-
 sibus fere eiectam. cum ita esset conturbatus, oppor-
 tunitas tulit vnum e nostris in eas aedes, vbi ipse di-
 uersabatur: prosequitur abeuntem. & apparebat,
 eum velle loqui, sed impediri pudore. tandem eluctan-
 tibus verbis, dolorem fateri commissorum scelerum,
 & consilium aperire vitæ mutandæ. erigit afflictum
 pater, pollicetur a Deo veniam: & viam ostendit.
 dies confessioni dictus: a qua statim religiosam vitam
 amplexus, tanta vis fuit penitendi. Sed immane quan-
 tum malus dæmon confessionem aliquorum est cona-
 tus inhibere. Vir erat in alijs quibusdam terris reli-
 giosus, & pius, sed nimium fortasse simplex, & ina-
 nium cupitor. parabat se ad confessionem vniuersæ vi-
 tæ: corpus suum voluntaria verberatione coercebat:
 dum instat operi quodam die, detineri sibi sensit fla-
 gellum, dein manum torpescere. attonitus metu,
 Litanijs recitare instituit: ubi ventum ad illud, Ore-
 mus pro Papa Nostro, obmutuit lingua. eo granius tæ-
 menti, vox ex occulto edita, quæ eum nominatim cõ-
 pellans: Nihil est, inquit, quod innocens corpus am-
 plius maceres, aut durius tractes, ne ve de peccato-
 rum expiatione cogites iam abolitorum Dei indul-
 gentia. qui etiam te delegit sibi filium, & regni cale-
 stis heredem. Quin tu istam schedulam, in quam tua
 crimina coniecisti, offer ad templi fastigium, lapi-

demq. illi, & prunas superimponere. Fecit quod mon-
 batur. post die cum redisset, nec schedula, nec pruna
 reperta. Persuasum deinde, ut corpus deijceret de
 celsa turri. cū fecisset sine offensa, sublatis sunt animi
 nempe iam sanctus, iam dilectus Deo, iam Dei filius
 sibi videbatur. auxit amentiam adoptionis forma-
 la, quam veterator attulerat, tamquam a Deo misis-
 tum vero, ut scelera sunt sceleribus connexa, deserta
 cænobiū. tanto magis pronus in luxum, & in malum
 otium solutus. hinc cū se in flagitia omnia ingurgita-
 set, Mediolanum venit, ad nostros. hic illi ad agnosce-
 dos diaboli astus, Deo miserāte, oculi aperti. Eadē die
 boli artes agnita in altero, & ab eodē narrata alijs,
 quos cupiebat instructos. Abdiderat se quidam pa-
 randa confessioni in interiorē domum, quæ vacaret
 ab arbitris, & interpellatorum metu. dum huc intē-
 dit, accersitis omnibus sensibus, audit in cubiculo
 proximo strepitum quasi inambulantis: inclamat,
 ut quiescat, vel abeat. cū audiret nihilominus, exit,
 ut increpet voce clariore. neminem videt. credidit
 effugisse. altera die sub vesperam in eadem cura de-
 fixus, recipit se in eādē solitudinem. auertit ab in-
 tenta cogitatione mentem pristinae nocti similis so-
 nus. egreditur præpropere, ut importunum deprehen-
 dat. inuenit nullum. tertio denique die dum hoc agit
 attentius scriptioni incumbēs, non iam exterior, sed
 interior fragor cubiculum, vbi erat, vi seclusis fori-
 bus irrupit. pererrat nescio quis circum parietes,
 & tergo scribentis territurus insistit. intellexit vir
 prudens timorem nocturnum, eundemq. fusa ad Deū
 oratione

oratione discussit. nec propterea minus, immo tanto magis, confessionem peregit. & quidem vno anno aperuerunt delicta omnis vitæ minimū quadringenti. Mitto iam multos de capitali hoste, qui visus inuisusue premebat consitentium fauces, ne eloquerentur peccata, egisse triumphum. Duo hæresim eiuraverunt: & si in altero, nempe, quia bis ad eundem, morte multando, maius negotium fuit. Sed quid dicam de restitutione aris alieni, quæ in tam frequenti vrbe, multiplex? Huius quoque generis vnum prometur exemplum. Vir quidam plus quindecim annos non ita bona fide fundum tenebat, vnde quingenorum aureorum annui redditus. Sed culpam retenti, gloria rediti cum integro omnium annorum vestigali aboleuit. Ecce aliud ex alio. Vnus vxorem alterius, quam adulterio pellexerat, quo liberius potiretur flagitij, ad necem mariti impellebat: venenum primo datum erat, sed parum validum: lenti sceleris impatiens, presentius parat. subodoratus hoc vnus e nostris conuentum e vestigio inuenem ita a facinore retraxit, vt ei auertendo, certum hominem legauerit: dein, quia tardius hoc fiebat, ipsemet quadraginta millium spatium contenderit. Duxerat adolescens vxorem, veneficia metuebat: aduersus ea parantem sibi antidotum veneficiorum, vetuit vnus e nostris: sed cum tamen vim maleficam, quam fugiebat, non vitasset, ea se, & fusis ad Deum precibus, & vna cum sponsa audito sacro, feliciter exoluit. Mulieres decem diu peregrinatae in nequitia, de turpi vitæ statu demigrarunt. alijs pluribus, ne præ fame negligerent famam, opportune consul-

consul-

consultum. earum quaedam nobilium matronarum
 trocinio, quaedam cœnobio sacrarum virginum co-
 mendata. cœnobio porro virginum nostri, cum ro-
 tu presidum cohortentur frequentius, auctores
 lis fuere, vt siue cum inter se domi, siue cum ad-
 nestras clathratas cum propinquis colloquuntur,
 rebus tantum spiritualibus sermonem serant. id
 obseruant cum germanis fratribus duæ diuerse, in
 hunc, cui vxor fuerat interfecta, a destinatione
 dicta: illum altera a prodigientia opum, & mollis-
 vita deterret. utraque suo persuadet, ut ad sacer-
 tem accedat cum proposito confitendi. Obluiscen-
 consilij, si agros dicerem (cui enim id ignarum) in-
 aditos in morbo, uel adiutos in morte. sed quomodo
 duo sanati admirabiliter, de ijs aliquid collocemus
 Medicus tenebatur lecto, nulla, aut exigua spe emen-
 tionis. cum eum inuississet sacerdos, illacrimante
 vxorem, filios circumstantes miseratus, ut imponeret
 super illum manus, Euāgelium pronuntiare instituit
 dicturus ea uerba, Super agros manus imponent, &
 bene habebunt, quasiit ab eo, crederet ne, illa a Do-
 mino Iesu prolata, habere vim morbi depellendi: an-
 nuenti, cum inter dicendum manus imposuisset, saluus
 est reddita. nec fefellit medicum, qui curationi prece-
 rat: cum enim ex pulsu uenarum saluum esse compe-
 risset, admirans: Maior, te amice, inquit, dextera ser-
 uauit, non mea. neque enim humana es arte, sed diui-
 na ope leuatus. Pergrauo dolore pedum non angeba-
 tur alter, sed ardebat: sic ut ad impatientiam delap-
 sus, & diuinum numen uiolaret uerbo, & diabolum
 crebro

crebro appellaret. usurpata tandem peccatorum confessione non animo modo salutaris, sed ipsi etiam corpori utilis fuit. Nec uero in urbe tantum bona aucta, aut mala compressa, sed in eius quoque ditionem late patentem nostrorum industria se extendit. A quattuor sacerdotibus priore anno, efflagitante Archiepiscopo obiti pagi ceterum circiter & quinquaginta. Plurimi impositi montibus (ea regio Heluetios attingit) uia angusta, et ascensu difficilis, ab laeva rupes abrupta in miram altitudinem, praecipiti crepidine. & talis erat tempus anni, ut gelu liquecente, hinc e monte decidui lapides uoluerentur, hinc lubricum esset iter procedentibus, soleis licet uterentur ferreis, & baculis, ad innitendum, praecuto ferro suffixo. Sed difficultatem uiarum consolatus est paganorum ardor, & fructus. namque, ut aceruatim multa complectar, confitentes auditi duodecies mille. aegrotus unus generali confessione sanatus. piorum aliquot Sodalitates restituta. placata odia multorum, caedesq. prohibita. Et si necesse est multa praeteream, addam quiddam, quod excellit. Quodam in pago erat unus, quem ita stimulant aculei conscientiae, ut cum cruciaretur perpetuo, respirare non posset. in hac cura dum consenescit, uisus est in somnis uidere Dominum, qui aegro solatia afferret, diceretq. non ita multo post affuturum sacerdotem, cui peccata tutissimo aperiret. affuerunt nostri, & cum exonerasset conscientiam, sollicitudine liberatus. Posteriore anno sacerdotes sex parocias discretas uiginti, & sex Vicariatus, ut appellant, obierunt. decies mille fuerunt, qui peccata confiterentur, qui

qui totius uitæ, mille. pax inter parochum plebem
 qua multorum antea effectibus, quam conatibus
 nieri fuit, Deo adspirante, composita.

COLLEGIVM. BRERANVM

OBIERVNT in hoc Collegio tres
 tres duo, & Vmfridus Anglus sacerdos, vir
 vir eruditione & scientia Dei colendi. Magistrorum
 auditores e prima fere nobilitate, octingenti, nisi
 cluderentur Scholarum angustijs (tam multi quæ
 die se offerunt) bis mille amplius futuri. Augeri
 Collegij existimatio, cum aut Philosophicæ theses
 sputanda ponuntur, aut declamationes publicæ
 bentur in templo, magno ciuium affluxu. Binæ
 studiosorum Academia, eorum, qui sapientiæ
 operam, & qui elegantioribus litteris. ea res faci
 vt multo promptius iuuenes in magnarū disciplin
 rum subtilitate, & in oratorio opere versentur. In
 que Congregatio vetere instituto pietatem seruans
 magnum momentum priore anno accessit ad eam,
 quæ dicitur Minorum, e litteris Pontificijs, cui per
 missum, vt se cum Romana coniungeret. Nec tantum
 domi spectatur adolescentium feruor: exterius etiam
 se effundit. egrotos adeunt in nosocomijs, eosque allo
 quio, obsequio, omni officio prosequuntur. Nuper vir
 pius excogitarat modum, quo baiuli vnum in locum
 conuenirent, vt de rebus spiritalibus erudirentur.
 Inceptum consilium promouetur auxilio nostrorū,
 non mediocri cum fructu. Doctrinæ Christianæ plu
 rimis

rimis in templis (cuius tradendæ ratio in hac vrbe, vt aiunt, iam diu cæpta) obsolescentis vetustate, vel negligentia, nobis cura commissæ, a nostris legibus minime abhorrens. ea sic in dies progreditur, vt quomelius consisteret, videatur corruisse. Huic dum muneri insistit vnus e nostris nostro in templo, opportunèq. interijcit cohortationem ad plebem, virginem quamdam, quæ eum ipsum diem postremum dixerat pudicitie (forte cum matre aderat) ad saniora conuertit. narrauit hoc mater gratulans, cum ad templum redisset. receptus mos, vt quibus diebus bacchatur hominum effrenata licentia, ijs diebus nostri per fora & compita coerceant populum præsentis voluptate & consuetudine corruptum, retentus hoc biennio, tanto alacrius, quanto magis quæ bene sunt instituta, perspecta utilitate valescunt. In gratiam eodem tempore, & dum doctrina explicatur, reconciliati multi: nec facile æstimatu est quanta vel ex his postremis capitibus facta sit in hac vrbe accessio ad pietatem.

GENVENSE. COLLEGIVM

INITIVM Genuensis Collegij erit finis Patris Francisci Adorni. etsi illi ipsius vitæ finis multis laboribus exercitæ, initium melioris fuit. sic corpore erat tenuato, quo quasi superuacaneo circumdatus, hætenus animum fouebat, vt hominibus subueniret, vel cælestia meditaretur. quam tenax fuerit virtutis parendi, docuit in extremo. cū enim
durante

durante tractu & lentitudine mortis, ad reuocand
semianimo sēsus porrigeretur sorbitiūcula, defec
iam viribus non sentiret, adeo non intelligeret
mul valetudinarius insurravit ad aurē, ita iussu
a Patre Rectore sustulit semimortuū caput, hanc
poculo, post paulo tenuem spiritum efflauit, afflu
honor fronti, suavisq. diffusus ori color, vt sancti
domicilium animæ, eius lætitiā egredientis sensu
existimaris. Et aspectabatur patris forma pulcherr
humana insatiabilibus oculis: et vbertim ibāt inter
lacrima, nec osculis parcebatur. eū secuti sunt post
ro anno item sacerdotes duo: quorum alter fuit
phanus Baroelius: is nimirum Baroelius, qui libe
tum se olim, Romæ, grauissimo morbo, Patris N
Ignatij precibus fuis ad Sancti Petri in Monte
reo, memori mente predicabat. Sacerdotes reliqui
perstites nihil prætermiserūt ex ijs rebus, in quib
officiū agitur Societatis. Disputat vnus rogatu
chiepiscopi in principe templo de officijs homin
Christiani: quam vtiliter, declarant confessiones
a prima pueritia repetitæ, eæ vno anno quadring
fuere. In gratiam cum inimicis redacti multi. Dep
gnauerat vnus certa die inimicum ad eadem: pri
die insidiarum, Deo disponente, ex colloquio cum
vno e nostris, ita immutatus est, vt deposuerit oī
cum consilio nocendi. laqueo nonnulli, ferroneo
tadium curarum sibi mortē asferre cogitantes, red
sti ad spem viamq. vitæ melioris. agnouerunt aliqui
dæmonis præstigias, quibus illudebantur. hæretici
tres ex Anglia huc aduecti, ad sinum Ecclesiæ Ca
tholicæ

tholica nostrorum hortatu redierunt. vnus ex ijs
constantia blandimentis minisq. inutiliter oppugna-
ta interuisa interim triremes, & audita confessiones
nauticae turbæ non desitus adiri carcer. & reuocati
fontes puniendi morte ad Christianam firmitudinē.
Exempli causa. Vir erat audax & maleficus, multa
scelerum fama, quæ horribili tormentorum patien-
tia, etiam compositus cum ijs, qui se vidisse testaban-
tur, tanta vocis, & vultus seueritate occultabat, vt,
quamuis cæta, labarent indicia. Hic tandem, siue
quod videret nullum silentij emolumentum, si-
ue arguente conscientia, liberrimæ confessionis glo-
riam amplexus, sponte edidit facinora, quæ ad-
motis cruciatibus, vt promeret, subigi non potuit,
suoq. se condemnans indicio, qui toties Deum offen-
disset, edixit esse quamlibet crudeli morte dignissi-
mum. igitur peracta accusatione, lataq. sententia, ac-
cerfitus sacerdos e nostris rite expurgatum hominem
et pane Angelorum refectum ita roborauit aduersus
mortem, vt eam sibi expetendam esse dictitaret, eluē-
dis maleficijs, quibus vitam contaminasset. Et ad eā
se duorum dierum ac noctium continuatis precibus,
voluntaria etiam inedia comparabat. Quin, vt per-
ferret fortius acerbitatem dolorum, uouit, sacerdote
penitus nesciente, omnia eius imperata se enixe fa-
cturum. Ea parabat subsidia: vt si forte memoria
defecisset, constantia admoneretur. raptatur ad sup-
plicium, obligatis pedibus ad caudam equi, capite
verrente terram, & ad offensum lapidum persultan-
te. vniuersa ciuitas ad spectaculum se effuderat. addi

tus erat tortor, qui flammante forcipe membra
 peret repetito cruciatu: qui etiam præcidit illi
 num: cum is interea in omni pœna tam altos spiritus
 generet, ut omnibus attonitis, plerisque illacrima-
 tibus, nullam ederet vocem, qua semet miseraretur
 quasi ea supplicia in alieno corpore exercerent
 rogabat idem patrem, iuberet stridens ferrum imp-
 mi altius, dolori asperando. laqueum iuxta, ora
 primum circumfistentem multitudinem miseratio-
 simul & admiratione defixam, ut deprecabatur
 Deum placaret: cohortatus deinde omnes ut illi
 exemplum pro documento acciperent vitæ insiti-
 da: Reuocari, inquit, præterita mea facinora non
 sunt, vestra, ne accidant, prohiberi possunt. Et quæ
 quam ego me: itissimo tollor, non tantum ideo tollor
 ut peream, sed ut alios pereundo deterream. His
 etis, & factis: adstante semper vno e nostris, is
 vitam inuisam omnibus duxerat, cuius mortem
 probauit. Vnus ex eodem genere hominum a summo
 obstinatione ad magnam animi tranquillitatem tran-
 situs. Sodalitiorum, de quibus alias dictum, assueti-
 munia, vberiore cum fructu. Sauiente annona, deli-
 etus locus commodus & saluber, in quo, agmini mo-
 serabili, quod eo vndique confluebat, tum corpora
 præberentur alimenta, tum elementa doctrinæ. His
 dum alijs locis traditur, atque intermiscetur tēp-
 ua cohortatio, adolescentulus decennis, aut non mi-
 to maior, qui orbatu parente, vltra atatem paternam
 inimicitias pertinaciter animo persequabatur, sic
 permotus est, ut prostratus ante aram, professus sit
 cum

cum lacrimis, se acceptam iniuriam ob patris cadem
ignoscere, quam persequi malle: idemq. regressus
domum, persuaserit matri: quæ & continuo implexa
luctu, & longo dolore atrox, nihil aliud instillabat
puero, nisi, cum primum per atatem posset, interfecti
patris vltionem. excurrētes viri ex iisdem Sodalitijs,
erudiunt quoscumque, ac teneram præcipue atatem,
quæ rudis malorum morum, ad virtutem facillime
flectitur, eamq. imbuunt amore diuino. Puella ab ijs
instituta, ardens Eucharistiæ cupiditate, cum ad eam
se pararet generali confessione, correpta est febris: nec
longe aberat a morte: sed vbi primū, a parocho, cogni-
ta probataq. eius voluntate, quæ se mori dicebat de-
siderio Christi corporis percipiendi, compos voti ef-
fecta, cum sanctissimo Sacramento sanitatem rece-
pit. Sabata vrbs est, vna Genua excepta, totius Ligu-
riæ nobilissima. huc, rogante Episcopo Centurionio,
missi quattuor e nostris: præter cetera, in quibus na-
tatum est studium ciuium saluti, piorum Sodalitates
duæ restitutæ, quæ erant prolapsæ: institutæ aliæ duæ
virorum seminarumq. caritatis opera exercentiū. ob-
uiam itum quamplurimis maleficijs: ira, improbitas,
cupiditas multorum coercita. Quidam larga mercede
ad flagitium mulierem tenuem, filiamq. coegerat, vt
illius patientia abuteretur, huius forma: sed procu-
rante vno e nostris, tam iniqua pactio rescissa. Audie-
rat quædam decora mulier, cui calamistrata coma
multum adyctebat ad reliquam pulchritudinem, no-
strum pro suggestu dicentem, quam cuncta rerum hu-
manarum instabilia essent ac fluxa, quantoq. se sce-
lere

lere alligaret, qui sceleris alieni auctor esset. vnde
 mum redijt, præcidit sibi longiorem capillum, ne
 dispositu callidus venandi pro laqueo vteretur. Hi
 priore anno. Altero reditum a duobus, et primus
 Episcopi cohorte auditi aliqui de peccatis totius
 te. in ipsa vrbe turbatus lusus damnoſa alea: chon
 rumq. & cantus lasciuia prohibita: in grauitate
 nona cum Antistitis liberalitas sustentaret paup
 res cibo, eosdem nostri sacro instruebant: alloquo
 transfugio mulier ad cœnobium remissa. Quadrag
 ma habita concio in oppido suburbano: vbi detra
 uersutia diaboli, qui peregrinum assimulans, ita
 posuit femina, vt eam adegerit, stupentibus illis
 ronibus, ad concionandum. aliud deinde aditum opp
 dum. hic senex initiamenta Christiana, quorum en
 penitus ignarus, intra quadrantem horæ addidit
 stitutumq. ex occasione Sodalitium Doctrinæ. In ali
 denique pago præclare posita opera, nostrorum labo
 rem Dominicanis adiuantibus. Sacerdos in alia pro
 fectione curiones duos diuersos cum curialibus red
 xit in gratiam, sacrarumq. adium ornatum alibi ang
 ri curauit, alibi restitui.

T A V R I N E N S E . C O L L E G I V M

LEVATI duo e vinculis corporis. astrinxe
 runt se Societati vndecim. eorum vnus, cum pa
 rentes turbarent, miscerentq. omnia, sua sponte do
 mum redijt, nec nisi illis placatis pacatisq. ad Colle
 gium reuertit. Priore anno, e duabus Congregationi
 bus,

bus, quarum altera domi nostra, altera in contubernio
Convictorum, conflata est vna sub nomine & tutela
Annuntiatæ Virginis, eaq. cum Romana coniuncta,
sacello satis amplo extructo. Posteriore anno Sodali-
tium institutum virorum, etas quorum prouectior,
et dignitas amplior, in ipsam adscripti senatores mul-
ti, aliquot etiam Sabaudia familia, quæ est Stirpi Du-
cis annexa. Duæ præterea constitutæ Sodalitates, Ca-
thecumenorum vna, matronarum puellis Christiana
fidei rudimenta tradentium, altera excitatur vtraque
octavo quoque die cohortatione nostrorum, qui eo-
dem officio profecuri sunt pauperes, quos Dux libera-
liter sustentavit, cum fame affligerentur. idem Dux
cū aliquādo ad nos venisset cum Serenissima Infan-
te, tēpli gradus curavit suis sumptibus e marmore ex-
tollendos, addita vestis ad sacrorum ornatum cultu
pulcherrimo, excitatum tabernaculum Christi corpo-
ri condendo, quo nullum tota vrbe magnificentius,
datus adamas eximius, vt eius pretio compareretur
cymbium Eucharistia afferuandæ. Atque hæc fere
domestica. Superest, vt simili breuitate, externa per-
stringantur. Exercitationibus spiritualibus imbuti
multi, atque in his, summa eius gratulatione, qui erat
a Pontifice Nuntius. Heretici decem, nostris aucto-
ribus, resipuerunt. Persuasum vni, vt quam habebat
pellicem, duceret vxorem. viris præterea aliquot, vt
quam sinistram habebant de coniugibus opinionem,
deponerent, simulq. de earum cæde consilium. vnum
eorum postea Dei Matris aspectus incredibili volup-
tate perfudit. Impura mulier, cuius domus erat offi-

cina uenalis pudicitia, a turpi mercatu abducta, an
 qui vitio mentis, an diaboli impulsu, intra templi
 nuam penetrare vix audebat pedem, nunc tandem
 fanatica formidine deterritus. ac ne omnia compe
 dio. Ierat sacerdos in templum circa meridiem, vi
 nientibus praesto esset. nec longum tempus in mor
 limen ingreditur quidam, quem pertinax dolor eg
 gere colloquia & ceteris hominum cogebat. neque
 difficile fuit cognoscere. ita flexo in maestitiam
 erat manifestus magna cogitationis. igitur clem
 ter hominem appellat, varioq. sermone, nunc mon
 do, nunc miserando, nunc letiora subiiciendo, eo
 dem pertraxit, ut animi vulnus amice aperiret, qui
 vel ipso tacente vultus loquebatur. nempe consiliu
 moriendi ceperat. cuius perficiendi tempus non ta
 differebat, quam commodum morabatur sed spiri
 li medico causa agritudinis cognita, facile fuit ad
 bere curationem. Accipite aliud non paulo admirabi
 lius. Vnus ex ijs, qui pietatis causa sunt nobis fami
 liares, pedibus iter faciebat, multa secum portans vi
 minimi pretij: cum aberrasset a via, multo iam noctu
 sensit in medios latrones delapsus: quorum etiam vo
 ces non longe audiebat deliberantium: parcamus vi
 ta, dum auferamus bona. hoc ille tempore cum agita
 ret multa varius & incertus, quoniam meminerat
 nos dicere, ubi nulla se dant humana subsidia, suppedit
 tare diuina, quanta maxima potuit animi submissio
 ne, in vota effunditur, Dei Matrem implorat, manus
 & supplices voces ad caelum tendens. neque irritus.
 conspicatur equum, nec stratum, nec infrenatum ad
 se ad-

se aduenientem, & fere inuitantem adscensum. uti-
tur tempore, insilit apprehensa iuba, eo iturus, quo
duceretur. is concito cursu receptum sessorum refert
ad notas domini ades, vnde prius disceserat, gemina
ta letitia.

ALIQVOT. MISSIONES

L V S T R A T I utroque anno de more va-
rij pagi, villaq. proxima. ex ijs hęc pauca scri-
bentur. Hæretici nouem Catholicam fidem respexe-
runt. alij multi verbis se ostenderunt a regno Dei
propius abesse. Bricheraschi (oppidi nomen) conglu-
tinata pax inter quosdam, quorum vincula cogna-
tionis per ruperat dissidium animorum. Quidam fal-
so damnatus, cum probrum damnusq. silentio trans-
mittere, tantum abest vt obliuione, non posset, vbi
doctus est, id frustra & perperam fieri, ita demum
instituit animum ad recte moriendum, vt præmuni-
tus Ecclesia Sacramentis, magnum argumētum de-
derit salutis post mortem, quando mortuus est tan-
ta animi equitate. Sacerdos alter quattuor inuisit
nobiles pagos huius ditionis: atque, vt omittam sol-
lemnem supplicationem vnam atque alteram, qua
excitatus feruor Catholicorum, cum hæretici vre-
rentur: restituta Sodalitas, cui nomen a frequenti
communione (quot Kalendis sodales communicant)
Hęc instituta quattuor ante & viginti annos, vt me-
morant, a Patre Antonio Possuino, exolesebat. In
alio oppido, iuuenis, qui aut simulatione stultitia, &

dulcedine otij, siue imbecillitate mentis, a matre
 vllum omnino negotij genus adigi non poterat, in
 ditus est parenti obsequens, & patiens laborum.
 cerdos missus cum Marchione Estensi ad Lucera
 aquas, in pago quodam dedit operam vt viri inter
 caturum, eo sine, vt cū templo effertur Eucharistia
 culum, eo uisatur incessu & apparatu, quo debet
 Venio nunc in vallem, Petrosam nomine, sed iam
 Dei, benignitate, nostrorumq. subactu ita excolit
 ptam, vt spes sit elaturam fructus vel cum centes
 mo. frequens hic introductus vsus Sacramentorum
 quem, quia, vt fit, improbi negligunt, hæretici conu
 nunt: aduersus animos aspernantium actum est
 bo Dei, aduersus ora maledicentium, edito. iussi enim
 ab eo, qui habebat potestatem, sine vilo strepitu
 morum, ni hæresim abdicerent, solum vertere. quos
 aliqui maluerunt pertinaces, aliqui ad meliora flexi.
 Quodam alio in pago idem sacerdos auctor fuit, vt
 aream emerent hæretici, ydemq. pecuniam darent
 templo struendo, quo Catholici vterentur. quin etiam
 decumam se daturos singulis annis publica pactio
 sponderunt. ita auget in dies res Catholica. Mini
 ster hæreticus cum in disputatione victus discessisset
 a nostro, victorem se, & victum illum fuisse iactabat.
 rebus instrenuus, lingua promptus. sed non diu dis
 lata vltio. cum præceps cecidisset e scholarum gra
 dibus, & grauitè corpus offendisset, gestamine lecti
 cæ sublatus est ad alium pagum multis millibus distan
 tem. Pro prodigio hoc habitum a multis: at quod se
 quitur, ab omnibus. Immenso auctu excreuerat flum
 en,

men, vastaq. inundatione loca etiam longinqua implebat. Sed cum præter cetera incommoda, quibus affecit hæreticos, binas eorum aedes funditus proruisset, mediam Catholici aream reliquisset intactam, pro voce acceptum est numinis, meliori causæ fauentis.

COMENSE. COLLEGIVM

EFFECERVNT tandem nostri quod curarunt diu, vt hic quoque duplex celebraretur cætus virorum feminarumq. qui in templo nobilissimo teneriorem ætatem imbuant præceptis Christianis: promouit opus sacerdos vnus gratiosus ciuitati, qui obitis domibus plurimorum, delectum eorū habuit, qui essent aptiores ad discendum: idq. adeo acceptum gratis animis ferunt, vt iam & re fruantur præsentis, & spe maiore erigantur posteris temporis. Secundo anno, qui frugum caritate insignis fuit, stipem nostræ emendicarunt plerumque, sustentandæ pauperum inopiæ: qua re admoniti iecerunt fundamenta Sodalitatis nobilium, qui octauo quoque die capita conferunt in Collegio, vt applicent consilia necessitati. sunt etiã in hac vrbe, vt & Insubria in alijs multis, puella, quæ exemplum Ursule Virginis secuta, cuius nomine insigniuntur, & patrocinio, castitatis voto se Deo obstringunt: matronæ his præficiuntur de nostrorum consilio duæ, quæ sanctimonia iuxta & ætate venerabiles, in tectis a strepitu remotis eas ita instruunt, vt magna hinc soboles, & propagatio cænobiorum adolescat, ex his autem virginibus

vnus illustris est in graui & diuturno morbo colli-
 tia, vt inter exempla numeretur. octauum iam
 num non surgit a lecto. agrotatio, cuius origo & pro-
 gressio ignorata medicis, miraculo: ipsam, vt acer-
 dolores distendunt corporis, ita solida animi volu-
 tates sic afficiunt, vt harum recordatione illi obri-
 tur. si qua pars vacua temporis, precationibus
 sumitur: his dum insistit aliquando, vidit clarum
 lumine speciem quam pro humano habitu augustioris
 uiri, eo uestitu, qui est proprius nostrorum: hoc
 etsi illa primum territa, suspectans illius dolos, qui
 transfiguratur in angelum lucis: post paulo tamen
 risce recreata, sicq. illustrata mente, ut & Ignatius
 illum fuisse dicat auctorem nostrae Societatis, a qua
 excitata ad laudem obedientiae: & non uanum fuisse
 se uisum, rebus, studioq. praecipue illius uirtutis ostendit
 dat. est enim, simplicitate fortasse ingenij, inferius
 sexus, habilior ad pietatem. Adolescentula quaedam
 eo flagrat Dei colendi amore, propterq. Deum adiu-
 uandi proximi, vt non admodum in re magna suo pro-
 dio interdum collato in pauperes, sine molestia diu-
 nam continuet inedia. aliae sunt abstinentia, corpo-
 ris vexatione, chameunia insignes. Sed haec, quia com-
 munita, scilicet praetereantur. Degustarunt aliquae non
 nihil de commentationibus rerum sacrarum: vnaq. cuius
 ius antea ornatus corporis erat amoenior, ita affecta
 est desiderio rerum caelestium, vt mortalibus se non
 tradens, sed commodans, earum usu, non cultu, fini-
 niat modum. aliae non parum de muliebri mundo suo
 dempserunt ad decus templi. quod vt sit ornatus, ha-
 norem

morem maximum putant, inornatas videri. Sed ponatur aliquid de viris. Triginta, annorum omnium culpas confessione exposuerunt. Vir vnus, qui voluntaria morte querebat requiem ærumnarum, ab eo consilio depulsus. Quidam, qui omnes ad inimicum opprimendum artes conquirebat, mutata voluntate, ad eius se amorem conuertit. Illustrissimi Cardinalis ea quæ solet erga nos beneuolentia, posteriore anno illustrior. eius donum templo nuper condito reliquæ Sancti Amantij, quem Theodosij Imperatoris nepotem fuisse crebrior fama. aperta arca, in qua erat linteatum corpus, Alexandrino tapete inuolutum. inuenta laurea, qua cinctum caput fuisse existimatur. folia corona adhuc viridantia, cetera incorrupta, non integra solum specie, sed pene recenti. modo posita diceret. ægri incolarum, & laborantes febri, hinc remedia petisse memorantur.

VERCELLENSE. COLLEGIVM
Et Aronensis Nouitiorum Domus.

INTANTA rerum similitudine vestrum tedium expectarem, nisi intelligeretis, mihi, quæ accipi reddenda, & interdum iisdem verbis, quod inuerti non possint. In VERCELLENSI, schola doctrinæ Christiana maiora in dies capit incrementa. Sodalitati viris feminisq. coalita, cum in operibus misericordiæ, quod proprium munus habet, segenius versaretur, nostrorum cohortationibus ardor iniectus. In magna frumenti caritate curatum ut
paupe-

pauperes, ij precipue, quibus fame potior pudor
 inopia defendantur. A concionibus multa in singulis
 extiterunt bona inuitatu ad frequentem confessionem
 & obstructis aliquot viuorum fontibus in ciuitate
 vniuersam. ædes autem vsque adeo celebratur, ut
 sit decretum publice de ea laxanda. In Provincia
 synodo Proepiscopus, qui multum tribuit nostram
 fidei ac diligentiam, eos potissimum delegit, a quibus
 Latina haberetur oratio, & concio rei ac tempore
 opportuna.

A R O N A E his duobus annis, singulis, laici
 guli demortui. Priore Ioannes Maria Villerus, septuaginta
 annos vitæ, viginti Societatis exarat. Magna vir submissione
 animi, & cuius opido nouissima mortalibus exuitur, gloriæ
 contemptu sunt qui tradat, decimo ante die, quæ moreret
 prædixisse mortem. Altero anno vnus ex ijs, qui probationis
 causa recepti. Ceterum ex hac Domo pagatim misit, præsertim
 trieterici, solatio omnibus salutis multos fuere. Quem in
 pagum proficiscebatur, eo in pago nisi concione absoluta, req.
 diuina, nemo ad opus exibat. præoptabant scilicet fructuum
 annuarum cuilibet emolumento rei familiaris. Confessionem
 a primis annis repetierunt amplius centum. Nam quid dicam
 de plagiarijs, aut peculatoribus, ad reddendū inductis quæ
 in rem suam conuerterant. Ex publico cuiusdam oppidi agro
 nonnulli plus minusue, vt cuique erat commodum, occupant.
 multum ea res habebat indignationis: & quibus onerata
 erat, conquerebantur. finibus regundis mensores misit.

si. hic

si. hic finis sermonum & querelarum fuit. In aliqui-
 bus pagis annona fere continua laborabatur: succur-
 rit, ut potuit, sacerdos noster collectitia stipe eorum
 necessitati presentis subsidio: sed ut occurreret etiā ca-
 lamitati futurae, quoniam propemodum singulis an-
 nis spem mentiebatur seges, grandine messem contū-
 dente, veritus ne Communi illi non expiatū aliquod
 delictum hanc tantam efficeret vastitatem, persuasit,
 ut publico nomine ab Romano Pontifice peteretur
 uenia & absolutio: ubi ea concessa, & felix hostia,
 omnis quam chorus comitabatur, circum omnium
 agros iit, annus uberior prouenit. Quidam, qui in ri-
 xa, trunco per uulnera corpore fuerat relictus, fra-
 tribus licet manētibus in odio implacabili, ita libere
 uenit cum percussore in amicitiam, ut eum coram sa-
 cerdote amplexus, remisit quinquaginta aureos,
 qui offerebantur reficiendis impensis. Grauis etiam,
 ac diuturna extincta dissensio duas inter Sodalitates,
 quae aliquando cum altercatione congressae, certami-
 ne irarum ad iurgia uenerant: & magni motus, qua-
 cumque data occasione, metuebantur. fuit hoc ma-
 gni laboris. Quippe turbas & discordias quicumque
 concierit: pax & concordia auctoritate & consilio
 indigent. sed eo maior omnium gratulatio consecuta.
 Alio quodam in oppido mira diaboli arte imminue-
 batur Dei cultus. illudebat formis, quae speciem rese-
 rebāt uariarum ferarum: circum aram templumq.
 omne monstra uidebantur: ipse sacerdos ferino capite,
 fronte cornibus asperata. ludibrium oculorum impo-
 nebat animo. Labefactis terrore animis, religio nu-
 tabat.

zabat. Sed vbi has praestigias praestinxit Dei cla-
 tia, reddita sua oculis lux, nube erepta, & salu-
 euanuerunt. Nouariensis Episcopus, qui apud Regem
 Catholicum in Hispania Pontificium Nuntium age-
 bat, vehementer egit nobiscum, vt aliqui in sua
 diocesim iter curasq. intenderent: viro optimo
 Striq. ordinis in primis amico resisti non potuit
 si sacerdotes duo. Qui porro e concione percepti
 Etus, multoq. magis e frequenti confessione, quam
 numquam diei ortum ducebat in vesperam, etiam
 non adscribam, facile a vobis existimari potest. Re-
 catae pia Sodalitates, sanctaeq. consuetudines, quae
 obsoleuerant. multorum odijs finis impositus. in
 canonicos & parochum multorum annorum seculi
 discordia. Duos inter pagos lis de finibus orta
 (vt est saepe pertinax) nisi aequitate & condicio-
 bus dirimatur, dijudicatur cadibus & ferro, nostrorum
 interuentu dirempta. Rheticus dynasta, qui
 olim sermo Borromaei Cardinalis, sancta memoria
 in spem induxerat posse aliquid in sua ditione ad
 gloriam effici ope Societatis, nostros accersit: ieremi-
 bini sacerdotes: quorum magna fuit tum in via, tum in
 commoratione, famis, frigoris, laborum patientia: cui
 Etui, castanea: potui aqua: cubile, terra. sed firmabant
 animos caritas Dei, & lucrum animarum, quod erat
 in manibus. et experiendo probabant multa esse dul-
 cia facientibus, quae cogitantibus immittia videantur.
 ergo in illa paupertate, multos diuinis opibus locu-
 pletabant: in fame, caelestem panem, qui explet ho-
 minum desideria, praebebant: in frigore, ea, quam be-
 bebant

bebant oratione, audientium pectora incendebant. Catechismo pueri adultiq. instructi. Astricti pagi illis legibus, quae, quamquam a Borromeo latae, negligebantur. oppressa multorum dissidia: sic enim dicebant, debere se quodcumque studium nostris, & iracundiam suam per amorem Dei rogantibus, dimittere. Ceterum quanti eos facerent, quod sequitur, abunde declaravit. Quidam coniectus erat in custodia: quod cum solos tres quattuor solidos furatus esset, capitalem fraudem admisisse videbatur: itaque lege cōdemnatus. at nostris hoc nimium videri. Igitur alter ad reum, hominē vt consolaretur: alter ad iudicem contendit. flectebatur ille ad patientiam, hic ad misericordiam nullo modo. Nempe sententiam lege latam: reuocari non posse nisi a delectis a populo. ipsius permisso ad hos causa defertur: tantiq. fuit caritas nostri, vt reum omnibus fere suffragiis absoluerint. Hoc vbi perlatum ad hominem iam sua spe, nuper etiam omnium opinione damnatū: quo gaudio acceperit nuntiū, quas grates illis egerit, quos antea expertus erat solatores, nunc auctores vitæ: non difficile suspicari coniectantibus, hæc inter duo quantum intersit.